DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS, DE
PHTHISI PULMONALI.

QUAM,
ANNUENTE DEO TER OPT. MAX.
Ex Auctoritate Magnifici Rectoris,
D. JOANNIS ORTWINI WESTENBERGII,
J. U. D. ET JURIS CIVILIS ROMANI AC HODIERNI IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA ANTECESSORIS ORDINARII;
NEC NON
Amplissimi SENATUS ACADEMICI *Consensu,*
& Nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ *Decreto,*
PRO GRADU DOCTORATUS,
Summisque in MEDICINA Honoribus & Privilegiis
ritè ac legitimè consequendis,
Publico & Solemni Examini submittit

JOHAN HERBERT GRAVER, Gocha-Clivensis.

Ad diem 12. Septembris 1725. hora locoque solitis.



LUGDUNI BATAVORUM,
Apud CONRADUM WISHOFF. 1725.

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS. DE PHTHISI PULMONALI.

PROOEMIUM.

Cum tandem ordo ad me pervenerit, ut ad gradum Doctoratus adspirem, nulli vero ad hosce honores capessendos via pateat, nisi prius suorum laborum edat specimen; hinc & ego, licet invitus, ad hoc præstandum me accingam: invitus, quoniam hoc fertili sæculo, ubi Medicina ad summum fastigium evecta est, omnia fere exhausta videntur, sic ut eandem crambem recoquere tenear.

Cum vero nova hic non requirantur, & Medicinæ studiosis, in arte nondum exercitatis nec firmatis, impossibile sit nova proferre; igitur L. B. hic quoque a me nil novi, sed prius a Præceptoribus hausta, exspectet. Elegi materiam de Phthisi Pulmonali, *morbo illo funestissimo, quo tot inter mortales, imprimis divites, delicate nimis viventes, hujusque sæculi deliciis dediti, trucidantur, ubi vix medelæ, imo sæpe vix palliationi locus superest; ne vero in nimiam molem hæcce dissertatio increscat, solummodo de Phthisi Idiopathica agere decrevi.*

Omnia vero, quæ forsan bona hic vides, non mea sunt, sed Viro Celeberrimo, hujus Athenæi Lumini, HERMANNO BOERHAAVE *debentur. Adeat L. B. Viri Magni incomparabilem libellum* de cognoscendis & curan-

randis morbis, *ubi omnia hæc habentur*; *imo hæc, quæ addita sunt, in privatis humanissime, &, ut solet, summo cum candore communicavit idem Vir Egregius: pauca vero Auctores fide digni subministrarunt.*

Quæ prius præmonere & publice fateri me obstrictum fuisse putavi. Si itaque in concinnando ordine in exaratione materiæ erraverim, hæcque omnia nimis rudi calamo conscripserim, L. B. quæso, ignoscat, quæ deficiant, suppleat, quæ minus recte intellecta & proposita, corrigat, hæcque omnia æqui bonique consulat. Vale.

CAPUT I.

Etymologia Vocis & Definitio.

§. 1.

Cum de hac materia tractare decreverim, primo, more solito, derivatio nominis, ejusque significatio tradenda.

§. 2. Φθίσις, ἀπὸ τοῦ φθινεῖν, quod idem significat ac consumo, tabesco, hinc & Tabes dicitur, vel ἀπὸ τοῦ φθείειν corrumpo, hinc & φθόη dicitur, quod Foesius in œconomia Hippocratis pro colliquatione & imminutione corporis cum ulcere interpretatur, sic ut videatur magis proprie indicare morbum, de quo in præsentiarum sermo erit. Loci denominationem addidi, quia puto, æque oriri posse ab ulcere alterius visceris, per metastasin in pulmones delato.

§. 3. Medici hunc morbum definiunt, quod sit: *Consumtio totius corporis, ab ulcere pulmonis nata.*

§. 4. Hic est character, quo se ab aliis distinguit. Nam licet Atrophia nonnullis idem significet, errant; nam Atro-

trophia est simpliciter nutritionis defectus: sic & Cachexia cum nostro affectu coincidere videtur, quæ est depravatus habitus totius corporis. Verum uterque morbus differt, quod ulcus pulmonum non adsit; sic ut Atrophia & Cachexia, imo & Marasmus Veterum, consumtio cum ariditate, in omni Phthisi observetur, quæ solo ulcere se distinguit.

§. 5. Diximus in definitione, esse *consumtionem totius corporis*: quia in hoc morbo æger ita extenuatur, ut solis tendinibus & ossibus videatur constare, imo vix supersit pristina, sed modo mortis imago, instarque sceleti viventis appareat.

§. 6. Non vero secundum vulgi sententiam de solidis, musculis, fibris, nervis, tendinibus & ossibus hic aliquid consumitur, sed sola pinguedo, a qua præpondium obesi præ non obeso dependet. Nam membrana adiposa, quæ ubique in corpore supra musculos invenitur, intra illos, illorumque fibras ubique se insinuans, in immensam fere molem pinguedine, vel aqua, vel aëre impleri distendique potest: hinc, hac membrana pinguedine orbata, nec interim aëre vel aqua infarcta, mirum in modum homo extenuatur, & quasi totus consumitur. Veruntamen in Phthisi consummata vasa quoque exsucca redduntur, ut in horum cadaverum dissectione patet, in quibus sæpe vix aliquot unciæ sanguinis inveniuntur; nil vero de solidis perit, nam æque omnes musculos, ac alius sanus homo, cum agilitate & quadam facilitate, licet non tanto cum robore, movere possunt, nisi quod ossa mutuo contactu, a smegmate Haversiano inungente & lubricante privata, supra invicem plerumque crepitent.

§. 7. Consumtionem illam in Phthisi dependere *ab ulcere pulmonis* statuimus; *ulcus* vero Medicis definitur *esse solutionem continui, factam in parte molli cum generatione puris.* Cui definitioni explicandæ non immorabor, nisi solummodo dicendo, pus esse productum, vitæ superstiti tribuendum, constans ex aggregato vasorum contritorum & materia liquida ad locum allata: hæcque actio simul hæmorrhagiam, a vasis abscissis timendam, præcavet; hinc hic vitæ effectus, quo se ab omni heterogeneo & a majori morbo liberat, non

adeo timendus, est solius naturæ benignum opus, nam videmus in hominibus ulcera continuo fluentia habentibus, natura, id est, vi vitæ deficiente, hæc exsiccari, notatque, ut vulgus novit, mortem non longe abesse; sic quoque in Phthisicis, sputis suppressis, mors in propinquo: ita ut jucundum illud naturæ auxilium, si puri cocto exitus modo dari posset, locusque mundari, (dicta vero non intelligenda de ulcere saniem seu ichorem fundente) sæpe expetere deberemus.

§. 8. Sed cum hic habeamus molles pulmones, & manui accessus non detur, nec mundatio ita procedat, sane alia est ratio. Nam Pulmo, organum capitale, laborans pro toto corpore, αἱματοποιητικὸν, & πνευματοποιητικὸν, omnem sanguinem chylo & lympha permistum transmittens, permutans in liquidum nutriendo aptum, hic laborat, cujus descriptionem & efficaciam in corpore, brevitati studens, hic modo, ut alibi ab Anatomicis descriptam, & in Theoreticis demonstratam, assumo, & suppono, hoc viscus esse, quod omnem sanguinem totius corporis una cum chylo & lympha accipit. Eodem enim tempore, quo humor ille vitalis semel per omnia viscera partesque corporis cunctas circuitum absolvit, idem omnis per solos Pulmones transit, & quantum per totum corpus distribuitur, tantum intra idem tempus per pulmones trajici debet, sic ut nulla particula totius nostræ Machinæ ullam guttam sanguinis arteriosi accipiat, nisi prius per Pulmones fluxerit: imo ipsi Pulmones accipiunt sanguinem, vi propriæ fabricæ prius subactum, unde vivificantur & nutriuntur, sic ut hic fiat maximus humorum affluxus, horumque celerrimus trajectus.

§. 9. Accedit motus continuus, non interpolatus respirationis, inde Pulmo ne quidem per momentum in perfecta quiete est, nam systema aëreorum vasorum, inspirando aërem, inspiratum retinendo, continuo dilatatur, exspirando iterum collabitur, nec per hæc tria momenta Pulmo quiescit, sed semper movetur dilatatione aëreorum vasorum per gradus, horumque iterum sic collapsu, sicque ut vasa & humores in vasis contenti ne quidem per momentum in eadem maneant pres-

preſſione. In inſpiratione enim ſpatia inter ſingulos ramos bronchiorum fiunt majora, & veſiculæ coecæ, ex quibus pro magna parte Pulmo quoad aërea vaſa componitur, dilatantur, quo vero magis dilatantur, eo magis ad figuram ſphæroideam, cujus natura eſt, ut ſe modo in uno puncto tangat, accedunt. Cum vero hic inter has veſiculas vaſa in reticulares plexus diſtribuantur, hæc eo magis humores admittere poſſunt; hinc quo diſtenſio veſicularum major, quæ ſucceſſive uſque ad ultimum momentum inſpirationis augetur, eo vaſa liberiora evadunt: in exſpiratione vero ſucceſſive hæc figura ſphæroidea perit, veſiculæ complanantur, ſpatia inter ſingulos ramos bronchiorum fiunt minora, & vaſa per gradus iterum comprimuntur, ſicque vaſa hic ex majoribus per gradus mutantur in minora & minima, & ſenſim iterum relaxantur. Hic ita ſe offert nobis compendium omnium vaſorum, quorum capacitas ab aëre irruente, & veſiculas diſtendente, augetur, ab aëre vero egrediente, veſicularum collapſum efficiente, minuitur, accedente ſumma hac velocitate, qua humores hic ferri debent: exinde facile unicuique, accurate hæc perpendenti, patet, hic ſummam omnium humorum fieri conquaſſationem, attritum maximum, & attenuationem, caloremque ſummum generari, ſic ut humores omnes hic maxime adaptentur fluere per omnia vaſa, hisque inducatur figura nutriendo apta, & ex chylo compacto ſanguis paretur; ita ut cum ſanguine reliquo, ex Pulmone iterum egrediunte, unum homogeneum liquidum rubrum conſtituat. Eſt ergo Pulmo præcipuum αἱματοποιήσεως organum, ibique humores omnes denſantur, ſpecifice graviores redduntur a vi vaſorum, adjuta motu reſpiratorio: & hæc compactio videtur colorem rubrum ſanguini inducere.

§. 10. Ex hiſce dictis patet, quare tam periculoſum ſit, quando hoc viſcus ſuppuratione laborat, cum eo tot humores confluant, & præterea motus continuus accedat, qui vulneris & ulceris concretioni maxime obeſt, ſic ut vix conſolidetur, niſi perfecta imperata quiete. Et hinc, quia actio hujus viſceris communi bono adeo neceſſaria, ratio clara eſt,

cur

cur totus homo ab ulcere hujus visceris ita extenuetur & consumatur.

CAPUT II.

De Causis.

§. 1.

Hisce paucis de morbi definitione & historia prælibatis, jam mali causa indaganda.

§. 2. Causa proxima est omnis illa, quæ sanguinem humoresque in Pulmonibus ita sistere valet, ut in materiam purulentam abire cogatur. Verum hujus Causæ, quæ hoc efficere possunt, admodum sunt variæ.

§. 3. 1°. Pulmonis inflammatio suppurationem efficiens, imo suppuratio pericardii, pleuræ, mediastini, diaphragmatis, Pulmones macerando, rodendo, inque tabum fluidum convertendo, sicque pus in cavitatem Pulmonis deponendo, idem malum producit, ac si proprio ulcere consumeretur.

§. 4. 2°. Metastasis cujuscunque suppurationis in corpore, eo pus, sanguini per venas absorbentes communicatum, deponere, eundemque morbum efficere valet. Verum hæ species sympathicæ proprie dicendæ: & cum hic de Phthisi Idiopathica, magis proprie Pulmoni adscribenda, agere decreverim, eas brevitati studens mitto.

§. 5. 3°. Causa Idiopathicam Phthisin producens est duplex:

(α) Debilitas viscerum & vasorum, imprimis Pulmonis.

(β) Humor qualitate & quantitate peccans.

§. 6. Hæc duo producunt, 1°. Hæmoptoën; 2° Consumtionem Anglicanam Benneto dictam, in qua Pulmo ita debilitatur, ut ingesta non compingantur, sed omnia perfluant, & sudoribus materiam præbeant: & ita Marasmum verum accipiunt,

&

& ſæpe ſine Hæmoptoë, ſine ſputis purulentis, ſi nulla cauſa externa accedat, reſolutis viribus, diem obeunt ſupremum. Vel ſenſim in Pulmones fit aggeſtio heterogeneorum & minus coctorum humorum, quæ & ſæpe Hæmoptoën, Phthiſis præmonitorem BENNETO dictam, producit. Imo lis magna inter Auctores, an quis Tabe poſſit reſolvi ſine cruenta exſcreatione, quam litem dirimere nolo.

§. 7. Hæc autem Hæmoptoë vera, vel a Conſumtione Anglicana, ſi jam præſens in ægro, vix Phthiſis vera, eaque vix curabilis averti poteſt; ſic ut omnis cura hic conſiſtat in prophylaxi, hinc cauſæ Hæmoptoës erunt & cauſæ Phthiſeos. Ergo hæ paulo altius evolvendæ, & diſtinguendæ

A. In Proëgumenas, &

B. Procatarcticas.

§. 8. A. Proëgumenæ ſunt: (a) Nativitas ex familia Phthiſica, parentibuſque debilibus; nam his cum labe ſeminali communicatur, hique miſeri, proh dolor! hæreditario jure incidunt in Hæmoptoën & Phthiſin, nulla fere arte curandam, niſi, priuſquam Hæmoptoë oriatur, ſumma cum cautela præcaveatur: vel ſine Hæmoptoë prægreſſa, Phthiſici deveniunt.

§. 9. (b) Temperies plethorica utcunque calida & cacochymica, quæ plerumque oritur circa illam ætatem, ubi homo ἀκμὴν ſui incrementi attigit, ubi corpus non magis creſcit, oſſaque ulteriori productioni reſiſtunt, nec tantum nutritioni corporis impenditur. Hinc HIPPOCRATES in *Aphoriſmis* dicit, quod *Juvenes ſanguinis ſpuitionibus maxime ſint obnoxii.* Alio loco, quod *Tabes maxime fiat ætatibus ab anno octavo decimo usque ad quintum trigeſimum.* Hinc hi homines in flore ætatis demetuntur, imprimis cum hæc ætas maximos in diæta committit errores.

§. 10. Cum vero in Phthiſin prædiſpoſiti ſint valde debiles, ita ut viſcera vaſaque corporis, unde mutatio crudi in coctum, ſuo non fungantur officio, & hinc ingeſta nimis tenacia, adeo ut a virtute corporis ſuperari non poſſint, ſed ſpontaneam, a calore & liquidis admiſtis dependentem, muta-

tionem patiantur. Hinc acida non mutantur in alcalescentem naturam, ut fieri deberet, acescentia fiunt acida, alcalescentia redduntur fere alcalia; ita ut variæ degenerationes fiant, & tandem in putredinem vergant: sic nascitur Cacochymia, & accedente solidorum debilitate, quæ causa fuit Cacochymiæ, facile fit horum dissolutio. Hæc quoque causa est Consumtionis Anglicanæ, de qua Bennetus, Auctor ille heteroclitus quoad stylum, notat, quod εὔπεπτα *tenellis & invalidis sit alimonia amicabilis, sed eadem rustico porrecta in bilem retorridam facescant; si vero ei des caseosa, & e carne bubula, vel solidioris consistentiæ, in nutrimentum vergunt commodissimum, nam ut labor sic cibus*; si vero eadem des tenerioribus, inde male se habent, & in Consumtionem Anglicanam incidunt, ubi cruda minus cocta in pulmonibus aggregantur & accumulantur, unde Pulmo oneratur, imo stagnando acria redduntur, quia hærent in loco calido aëri proximo. Verum si tenuia alimenta accipiunt, omnia perfluunt, unde nimia diaphoresi & sudoribus exhauriuntur; quoniam actio viscerum vasorumque languet, hinc nulla fit humorum compactio, & vix sanguis bonus conficitur, quare si chylus ad Pulmones defertur, solent anhelare & leviter tussire; si igitur in tali homine oritur Hæmoptoë, est malum funestissimum.

Hæc sunt, quæ de temperie ad Phthisin dicenda habui.

§. 11. B. Jam ad causas Procatarcticas progrediendum, quæ, ubi prædispositis applicantur, facillime Hæmoptoën & Phthisin creant: hæ sunt omnia illa, quæ 1°. abundantiam humorum cum acredine junctam generant & augent, ut sunt:

(α) Omnes excretiones consuetæ, vel a natura factæ, vel ex arte institutæ, imprimis sanguineæ, intermissæ.

(β) Diæta nimis calida, acris, aromatica, maxime salina, & fermentata vinosa, & spirituosa &c. quæ omnia motum sanguinis augendo, sanguinemque rarefaciendo, acremque reddendo, morbum accelerant, imo sæpe producunt. Novi enim juvenes, ab usu nimio spirituum ardentium sine prædispositione, ut videbatur, robusto corpore existente, in-

ci-

cidisse in Hæmoptoën & Phthisin, maxime si animi moeror accedit, sic ut MORTON in abusu hujus, una cum curis coeterisque animi affectibus juncto, usitatissimam causam Phthiseos statuat. Sane non mirum, cum ab horum usu prima officina primo quidem roboretur, nam nullum forsan aliud melius roborans, si summo cum moderamine usurpatur, sic primo initio sæpissime inde pinguescunt; sed quia plerumque simul acribus indulgent, abundantiam sanguinis, sed acrioris, generant, sicque in Hæmoptoën incidunt, vel hujus usu quotidie aucto, ut plerumque fieri solet, quia ejus amore mirum in modum capiuntur, officina prima quasi comburitur, & occallescit, vasaque intestinorum contrahuntur, & sic tantummodo in primam agunt officinam, nec reliquum corpus inde roboratur. Hinc prima coctio depravatur, hac depravata reliquæ non bene procedunt: hinc si tum Pulmo in proportione præ coeteris visceribus paullo debilior, imo licet in initio satis fortis, tamen inde primum incommodum sentit; quia omnem chylum, non satis prima coctione præparatum, accipit: acrimonia igitur accedente, ejus vascula eroduntur, oriturque Phthisis vix medicabilis. Cum ergo hæc in corpore non prædisposito Phthisin producant, potiori jure in prædispositis malum accelerare dicuntur.

(γ) Dein morbi omnes, in quibus salia exaltantur, humores acuuntur, circulatio vehemens, calor & rarefactio magna, similem producunt effectum, maxime in prædispositis: hinc febres acutæ, variolæ, pestis, & imprimis scorbutus calidus, ubi acre peccans tenuia vasa colliquat roditque; hinc & catarrhus acris, ad Pulmones depluens, prædispositis adeo nocet, imo homines frequenti & diuturno catarrho & affluxu perenni ad Pulmones, una cum tussi affectos, ob Pulmones labefactatos, inde in Hæmoptoën & Phthisin, non tamen tam cito exitialem, incidisse testantur Auctores.

§. 12. 2°. Accedunt animi affectus magni, qui imprimis in prædispositis nocent, maxime ira, quæ juxta Veteres furor brevis est, motum & calorem in corpore auget, hinc hi

homines incandeſcere dicuntur, moeror anxietaſque animi, nam inde maxime pulmones onerantur, unde juxta BENNETUM, ſpiritus dejicitur, & vis tabifica altius imprimitur: ut de coeteris taceam.

§. 13. 3°. Quæcunque vim pulmoni magnam applicant: ut in magno nixu corporis, ubi multum aëris hauriendo, & diu retinendo, Pulmo maxime patitur, ut & in cantu, hinc cantatores in ædibus publicis plerumque Phthiſici fiunt: ſic & a clamore pulmoni magna vis infertur; imprimis vero a tuſſi, & riſu afficitur, quæ actiones humanæ, quoad effectum, fere cöincidunt: nam in utraque magna copia aëris in Pulmones irruit, retinetur, it, reditque, rareſcit, nec interim exſpiratur, ſic organa reſpiratoria maxime conquaſſantur & concutiuntur, hinc plurimi prædiſpoſiti Hæmoptoën inter ridendum accipiunt. Huc & vulnera Pulmonis referuntur, quæ illico Hæmoptoën producunt, & inde Phthiſis, ſed non adeo periculoſa, ac ſi a cauſa interna eſſet producta, oritur.

§. 14. 4°. Sunt quædam cauſæ, quæ venenata quadam facultate hunc morbum producunt, ut ſunt venenati quidam vapores: ut vapor aquæ fortis, mercurii, ſtanni, ſimiliumque, verum inde raro Hæmoptoë producitur, nec quoque vera Phthiſis, ſed morbus Pulmonis heteroclitus. Dicitur quoque de lepore marino, quod, ſi quis eo veſcatur, occulta quadam proprietate pulmonem exulceret, tabemque faciat. Huc quoque refero contagium, nam plerique Auctores teſtantur, hunc morbum æque contagioſum ac hereditarium; nempe ſi una cum Phthiſico ſemper verſamur, unaque cubamus, imprimis vero ſputa foetida Phthiſicorum habentur ſuſpecta.

CA-

CAPUT III.

De Signis Diagnosticis.

§. 1.

Jam signa Diagnostica sunt enumeranda, quæ, ob rationem postea dicendam, distinguenda sunt in illa, quæ
1°. Morbum imminentem denunciant.
2°. Quæ præsentem declarant.

§. 2. 1°. Morbum in semine latere scimus: si homo natus ex familia Phthisica, & parentibus debilibus: si video habitum corporis in Phthisin maxime inclinantem adesse, id est, si scapulæ acuminatæ, a tergo prominentes, quasi alatæ, qui veteribus πτερυγώδεις dicuntur: si præcordia contracta, pectus angustum & depressum, cervix gracilior & oblonga, & quibus a capite fiunt frequentes destillationes; hæc enim omnia notant, vitalia hæc viscera, cor scil. & Pulmones angustis limitibus esse circumscripta, & sic non ita dominium, ut fieri deberet, in totum exercere posse. Si præterea videmus, vasa esse tenerrima, sanguinem acrem, tenuem rutilumque, quod ex colore faciei amoenissime roseo, per vasa tenerrima transparente, apparet: hinc HIPPOCRATES hos vocat Φθινώδεις, id est, qui congenitam ad tabem propensionem habent, horum totum corpus molle, totusque habitus musculorum flaccidus, horumque viscera valde debilia, imprimis Pulmo, totumque vasorum systema; proinde inertia solidorum in liquida, & sic assimilatio non bene procedit, & quæ inde mala dependent producuntur. Præterea observatum est, in Phthisin prædispositos esse summa mobilitate & hilaritate, ob vasorum teneritudinem, & sic sæpe accidit, ut inter ridendum Hæmoptoën accipiant: hinc tritum illud vulgare inter nostrates non procedit, cum dicant de homine hilari & jocoso, illum non Phthisi moriturum, cum potius hoc cadat in morosum.

Hæc sunt signa morbi in semine latentis.

§. 3. 2°. Præsentis signa jam describenda, ubi (α) agendum de signis Hæmoptoës veræ, vix curationem admittentis, (de qua Medici sæpe gloriantur, se eam curasse, ubi modo curarint Hæmoptoën a causa externa ortam in corpore non prædisposito) cujus definitio præmittenda.

§. 4. *Hæmoptoë vera est spuitio sanguinis arteriosi, floridi, coccinei, spumantis, cum tussi, strepitu, & angustia pectoris, præcedente calore modico, levi dolore, & sapore salso in ore.*

Hæc est vera morbi hujus calamitosi descriptio, ex quo vix ægri emergunt, quin Phthisici moriantur, vel aucta hac exspuitione sanguinea, sæpiusque redeunte, purpureo cum sanguine evomant animam, imo sæpe Pulmonis substantiam sic rejiciant.

Hinc ergo ad distinguendum hoc tam exitiale malum ab aliis sputis sanguineis, definitio erit accuratius perpendenda.

§. 5. Dixi *sanguinem arteriosum*; nam venosus esse nequit, (nisi a vulnere inflicto, ubi tamen parum ex venis fluit, nisi sint magnæ) quia sanguis in venis fluit ex apice in basin. Porro nota sanguinis arteriosi est, quod sit *floridus*, *tenuis*, *simulque spumans*; hæcque indicant, si simul purus putus rejicitur, ex dextro cordis thalamo depromtum esse: *strepitus* vero notat ex Pulmonum profundo sensim prodire adscendendo, sicque *tussim & strepitum* facere: simul tum *angustiam pectoris* sentiunt, quasi pulvinarculum molle in Pulmonibus hæreret; forsan quia circulatio turbata, vel potius ob summam animi perturbationem, quia videntur animam exspuere: *sapor* tandem *salsus præcedens* notat acrimoniam erodentem præcessisse. Hæc sunt signa veræ Hæmoptoës Veterum per διαβρῶσιν adeo metuendæ, ubi purus putus sanguis floridus, tenuis, & spumans, cum tussi exspuitur; nam si cum vomitu sine tussi rejicitur, ex prima officina provenit.

§. 6. Si vero sputa fluunt ex bronchiali arteria, a qua, demonstrante Ruyschio, muci fit secretio, tum modo parva copia sanguinis phlegmati se admiscet, quod sæpe catarrhosis

ſis accidit. Item ſi ex ſuperiori parte laryngis, partibusque vicinis ſtillat, quoque ſanguis paucus & grumoſus, cum titillatione harum partium ſine oppreſſione, rejicitur. In utroque caſu, ſi nulla mala ſigna adſunt nec prædispoſitio, vix quid mali portendit, & ſponte bona cum diæta ceſſat, nam modo per ἀναςόμωσιν fluit ex orificiis vaſorum dilatatis. Nam videmus in morbis acutis, peripnumonia, pleuritide, aliisque ſic critice ſanguinea ſtrigmata ſputis ſe miſcere, & naturam ſe ita a morbo liberare, quod BENNETUS hiſce verbis innuere videtur: *Si critice, & per tranſſumtionem Pulmoni ſupervenerit affectio, tuto, non raro, & cum totius adjumento res ſuccedit.*

Imo obſervatur ſæpe, omni menſe fœminas menſtruari per Pulmonis vaſa anaſtomatice dilatata, ut aliter in utero fieri ſolebat, ſine magno periculo, niſi quod Pulmo inde debilitetur, & ſi nimius fluxus oriatur, ſæpe in διάρεσιν deſinat: ſic & a plethora fieri poteſt; ſed hoc fluxu reſtituto, vel plethora imminuta, ſi nulla adeſt prædiſpoſitio, malum curatur.

§. 7. Hic vero notandum ad intellectum horum, Veteres dixiſſe, ſolida quadruplici modo liquida contenta retinenda dimittere.

1°. Per ῥῆξιν, ubi a cauſa externa membranarum vaſorum fit ruptura.

2°. Per ἀναςόμωσιν, ubi vaſorum orificia extrema dilatantur & dimittunt retinenda.

3°. Per διαπήδησιν, ubi vaſa tam tenera & rara, ut per tunicas tranſudet humor.

4°. Per διάρεσιν, ubi vaſorum membranæ plenarie ſeparantur a cauſa interna.

Primum a cauſa vulnerante accidit; ἀναςόμωσις vero & διαπήδησις non adeo malos morbos producunt & facile curantur; ſed tamen, ſi humores coërcendos vel ſanguinem nimis dimittunt, in διάρεσιν tranſeunt: hinc ſputa critica, in morbis acutis ſanguineis ſtrigmatibus mixta, ſunt boni præſagii, ſi vero purus putus cruor exſcreatur, mortis prænuntia.

§. 8.

§. 8. Si vero διάῤῥεσις fit ab erosione, de qua BENNETUS dicit, quod *acria salsa non illico, quasi per terebellum vel acus partem compungant & corrodant; sed cum diu insederunt, cujus vis aestimanda potius dissolutoria, quam incidens & compunctoria:* & sic ibi perfectam erosionem describit, quod ipsi ἀναβρῶσις Veteribus διαβρῶσις dicitur, morbus vix curabilis.

§. 9. (β) Signa praesentis Phthiseos ex Haemoptoë praegressa satis clara sunt. Quod si vero oritur ab inflammatione partium in thorace sitarum, suppurationem & empyema producente, vel a metastasi materiae purulentae ex alio loco huc depositae, (de quibus in praesentiarum non est sermo) noscitur ex signis horum morborum praegressis, subsequentibus signis Phthiseos.

§. 10. Signa vero Consumtionis Anglicanae, quae in initio non ita clara sunt, accuratius perpendenda. Hinc si videmus temperiem inclinantem in phthisin, illamque imprimis aetatem, quo corpus ἀκμὴν sui incrementi nactum, tum homo sentit Pulmones graves & quasi ponderosos, respirationem difficilem, parvam, anhelam, quae omnia a motu, maxime si post pastum exercetur, exacerbantur. Tum simul actio primae officinae depravatur, quod ut BENNET dicit: *Ex eructationibus acidis, amarescentibus, nidorosis scitur, si odor corporis maxime inter sudandum a consueto mutatus, cutis praesertim faciei deflorescentia, habitus corporis mutatus, vigor languescens, haec in plerisque morbis diuturnioribus, praecipue Phthisi, indicia sunto;* & porro dicit: *quod totius certitudo confirmetur, si aliqua de causa fluxio seu catarrhus ad articulos vel extrema corporis devenit, & inde pectus levatur.* Tum tussis sicca adest, vel cum sputis, solo concussu tussiculoso abrasis, non purulentis, illa vero tussis maxime a pastu aucta cum dejectione ciborum, vagaeque adsunt horripulationes cum febricula, vix se manifestante & proditorie quasi obrepente. Hoc in casu quando pulsum exploramus, jubendo aegrum lente pulmones explicare, quam profundissime inspirare, aëremque quamdiu potest retinere, interim manum ad pulsum applicatam tenere debemus; si tum sentimus pulsum illico vacillare,

hoc

hoc notat viscus quoddam male affectum, si vero æger profunde inspirare nequit, quin a tussi obrepente impediatur, pulsus vacillare & labia genæque rubere incipiunt, ea notant malum in pulmonibus hærere, sicque hoc modo optime conditio bona vel mala viscerum ex pulsu detegitur. Tum simul decubitus in dorso difficilis, in uno latere impossibilis, in altero tolerabilis erit.

Hæcce signa sunt vomicæ in præternaturali cavo contentæ.

§. 11. Si malum augetur, tum tussis sicca augetur a vomica, latera Pulmonis ad invicem apprimente, unde titillatio & tussis fere perpetua, tum consumtio & febris hectica quasi amice obrepit, quæ adhuc vix se manifestat, modo calor paulo major, maxime in volis manuum pedumque cum genarum rubore, imprimis a pastu, inde & horripulationibus euntibus & redeuntibus. Inde pulmo incipit consumi in pus, vomica augetur, respiratio pessima summa cum anxietate ægrum infestat; tandem vero vomica rupta, vel (1) in cavitatem thoracis effunditur; unde, quanta syndrome malorum, facile patet consideranti. Materia enim hæc hærens in loco calido, humido, perpetuoque agitato, continuo affluxu augetur; hinc Pulmonem, cor, diaphragma, pleuramque macerat, corrodit, inque tabum fluidum convertit. Vel (2) ad aërea vasa aperitur, & sic æger præ copia sæpe illico suffocatur. Vel (3) totus Pulmo consumitur, & æger sic sine sputis purulentis moritur. Vel, (4) vomica ad vasa aërea aperta, fit continua puris cum tussi exscreatio, eodem modo, ac ab Hæmoptoë prægressa fieri solet.

§. 12. Si vero pus bonum, pauca copia sine magna consumtione, manifesta febre, siti & calore, tum æger valetudinarie adhuc diu supervivere potest; sed a levissima causa Hæmoptoë recurrit: in juvenibus vero calidis cito plerumque lethale malum.

§. 13. Cum vero malum augetur, sputationes fiunt quotidianæ continuæ, cum strepitu sonoque instar horologii locularis, per momenta tempus mensurantis, ut BENNET dicit:

cit. Tum febris augetur, ſputa fiunt fœtida, copioſa, varii coloris, & igni impoſita carnem aſſam ſpirant ob putredinem conceptam, qui fœtor contagione imprudentes labefactat, hæcque ſputa fundum aquæ marinæ petunt, agitataque facile diſſolvuntur, quia Pulmonum ſubſtantia conſumitur, omnesque functiones labefactantur, depravantur. Hæc vero febris hectica putrida, 4 vel 5. horis a paſtu exacerbatur, cum chylus novus ad vomicam vel locum exulceratum accedat, ibique obſtaculum inveniens ſiſtatur; hinc febris cum calore, rubore generum, oppreſſione pectoris & ſumma cum anxietate ſe manifeſtat. Per hanc febrem chylus, una cum inquilinis humoribus vaſisque, in pus quaſi coquitur, hinc maxima copia puris mane deponitur, & febris ingenti rivo ſudorum ſolvitur, quia humores non compinguntur; nam maxima vis compingens defuit, hinc omnia perfluunt. Tum mane paulo melius ſe habent, ſed cum iterum cibos ingerunt, eadem tragoedia redit; hinc debilitas augetur ſummaque oritur conſumtio & macies, niſi quod pedum manuumque vaſa lateralia diſtendantur & pelluceant, quia hæc materia tenuis ob debilitatem ad cor readſcendere nequit: cœterum nil niſi mortis imago, ſed mobilis. Tum æger faciem illam horrendam, Hippocraticam dictam, accipit, ubi facies livida & inſtar moribundi pallida, cum circulo livido circa os, oculis ſubſidentibus, naribus acutis, temporibus collapſis, totumque corpus redditur ſtrigoſum, ſceletoque ſimillimum, vox rauca præ ariditate: capilli defluunt, quia non amplius nutriuntur: ungues incurvantur, quia eminentiæ digitorum conſumuntur; ſæpeque aphthæ præ debilitate accedunt. Vomitus a tono ventriculi relaxato, vel a miaſmate purulento ſanguini communicato, valde moleſtus; tandemque ad malorum cumulum accedit ſuppreſſio ſputorum & anxietas, quia id paucum ſanguinis adhuc reliquum in Pulmones agere nequit, nec Pulmones amplius diſtendere poteſt: denique naturæ ruinam promovet acceleratque diarrhœa purulenta colliquativa, & ſic mors ultimum miſeriarum ſolatium placida ſubſequitur.

CA-

CAPUT IV.

De Signis Prognosticis.

§. 1.

Jam hæc, quæ de prognosi dicenda habeo, paucis absolvere potero. Prognosis hic admodum difficilis, si vera Phthisis adest.

§. 2. Verum Phthisis ab Hæmoptoë, a causa externa, vel a clamore, risu, tussi, vel a plethora sola, sine prædispositione orta, (nam tum raro in Phthisin veram Hæmoptoë transit) non adeo timenda. Sic & in fœminis sæpe accidit a fluxu menstruo impedito, ita ut omni mense, uti dictum, per Pulmones, ex vasorum orificiis dilatatis, menstruentur: ubi tamen, hoc fluxu restituto, sine ullis signis Phthiseos sanantur, &, modo Pulmones bene se a sanguine repurgent, & vasorum non nimis dilatentur orificia, ita ut dilaceratio fiat, nullum periculum subest. Eadem quoque est ratio in aliis sanguineis excretionibus retentis, id quod Bennet his indigitare videtur, inquiens: *Sanguis per vices in pectus confertim fluens minus periculosus, quam qui sensim & jugiter emanaverit; fluxio enim periodica, licet copiosior,* ἀνασομώσεως; *jugis pedetentim facta* ἀναβρώσεως *symptoma.* Ubi illa periodica excretio nulli alii causæ, quam Plethoræ extrema vasorum nimis dilatanti ortum debet. Idem Auctor mox subnectit: *Extravasatio sanguinis ex redundantia & tensione facilius curatur, quam illa, quæ ex ejus alienatione & erosione ortum duxerit.*

§. 3. Sic & Hæmoptoë a superiore parte laryngis, vel ex bronchiali arteria depluens, nil mali portendit; nam hoc catarrhosis sæpe accidit, ut sputa sanguineis strigmentis tincta sint.

§. 4. Cum vero a tali causa externa, vel a vulnere infli-

cto, sine prædispositione Phthisis oritur, licet ulcus Pulmonum semper curatu sit difficillimum, ut HIPPOCRATES dicit: *A sanguinis sputo puris sputum malum*; ob perpetuum Pulmonis motum, humorum affluxum, pulmonisque mollitiem, & quia depurgari rarissime potest sine tussi, magis adhuc lædente, medicamenta vero integris viribus loco affecto applicari non possunt, hinc semper summa cum cautela talis æger tractandus.

§. 5. Si vero tum sputum liberale, sine labore, & valida tussi, album, coctum, æquale, non nimis copiosum, sed ulceri respondens, sine signis febris, quæ sitim facit, & coenam prohibet: si omnia naturalia bona, appetitus bonus, digestio bona: si nondum extenuatur: si excrementa alvi dura semel de die deponit, ea enim bonam digestionem testantur: si respiratio libera, vires constantes. Hæc modo enumerata, in quocunque ulcere, ex quacunque demum causa orto, hic adhuc aliquid boni promittunt: imo spes curæ affulget, vel saltem vita per plures annos protrahi potest, servata imprimis diæta diligenti & accurata, & medicamentorum prudenti applicatione.

§. 6. Contraria vero, si in ægro observantur, nil nisi mali præsagii: & quo plura contraria, eo pejoris, & contra.

§. 7. Phthisis Metastatica prognosin morborum, unde ortum duxit, sequitur: estque facilior curatu, quam si in prædispositis a male affecto Pulmone oritur; pejor vero morbus est, si inflammationi Pulmonis subsequitur, tamen adhuc spes curæ. Si vero suppuratione partium in thorace sitarum, pus in cavum thoracis deponendo, ortum duxerit, morbus est vix curabilis: verum de his in præsentiarum silere decrevi.

§. 8. In genere notamus, quod ver, imprimis vero autumnus tabidis sit infestissimus; hinc plerumque sub autumno moriuntur, ob aëris nimias mutationes, imbresque frequentes.

§. 9. HIPPOCRATES dicit: quod *Tabes maxime oriatur ab anno decimo octavo ad trigesimum quintum*, ob rationes datas.

§. 10.

§. 10. Dein obfervatum, mulieres effe in Tabem propenfiores; quia fummæ mollitiei corporis & flacciditatis funt, & facile plethoram generant.

§. 11. Notandum quoque, quod femel Hæmoptoën paffi, facillime a levi caufa recidivam patiantur: imo fi fic it, reditque, vel repente ex nimia fanguinis jactura, veluti jugilati, intereunt, vel Phthifici fiunt.

§. 12. Porro Phthifis, ab Hæmoptoë per erofionem inducta, poft annum 36 oritur, omniumque difficillime curatur; quia tum Pulmo compactior, & non ita confolidatio, ac in junioribus, procedit: nam, tefte HIPPOCRATE, morbi in fenectute difficilius curantur, quam in juventute.

§. 13. *Tabidorum languor fine Pulmonum aut visceris cujuslibet corruptela, tacita vi obrepens, Anglis infeftiffimus eft, & nifi primis remediis obediverit, (quod rariffime evenit) funeftus,* inquit BENNETUS. Ubi videtur innuere morbum illum, de quo fupra, in quo omnia perfluunt, nulla fit affimilatio, nullaque humorum compactio: hinc omnia diaphorefi avolant, & fudori materiam præbent, fummus oritur Marafmus & fine Hæmoptoë, vel fputis purulentis, mors fubfequitur.

§. 14. Ab ingeftis nimis tenacibus, vitæ & Pulmonum viribus vix fuperandis, quod fi Pulmo oneretur, & congeftio fiat fenfim & lente aucta, tum ipfius fæpe cum fuffocationis metu fit ruptura, vel oritur Phthifis.

§. 15. In tali corpore, vel in cafu paulo ante notato, fi oritur Hæmoptoë, vix admittit curam, imo fæpe vix palliationem. Sic & fi ab Hæmoptoë per διαβρῶσιν in corpore prædifpofito Phthifis oritur, vel jam præfens, tum morbus vix medicabilis; nam ulcus tum fit, quod non facile confolidatur, & vitium humorum & folidorum vix corrigitur: imo actionem, quam Pulmo in noftro corpore pro communi bono totius machinæ præftat, fupplere non poffumus.

§. 16. Hæreditaria Phthifis in femine latens, æque ac barba fuo tempore in viro nafcitur, etiam in Pulmone oritur, & plane quidem incurabilis, nifi curetur cum præcautione Hæmoptoës: de quibus tamen BENNET dicit, quod

licet irrestituibiles, sint tamen diuturniores; Veteres enim dixere hæreditarios morbos curari non posse, nisi totus homo mutetur.

§. 17. Denique, si febris hectica jam adest, sudoresque nocturni, sputa matutino imprimis tempore copiosa, gravia, foetentia, dulcia, quæ corruptionem & consumtionem substantiæ Pulmonis notant, actum est de ægro. Quo vero hæc omnia symptomata velocius procedunt, & majora sunt, eo citius lethalia. Denique, si capilli de capite defluunt, si sputis suppressis diarrhœa succedit, mors in propinquo est, ut HIPPOCRATES hæc sparsim in *Aphorismis*, & *Coacis* confirmat.

Hæc de prognosi sufficiant, reliqua ex diagnosi patent.

CAPUT V.

De Curatione.

§. 1.

Jam de cura hujus funestissimi mali agendum, quæ, ut ex præmissis facile patet, est distinguenda

1°. In curam prophylacticam dictam, a morbo in semine latente præservantem.

2°. In curam morbi jam præsentis.

Cura morbi imminentis. §. 2. I. Ad primum quod attinet, respiciendum ad signa in diagnosi data. Hinc si videmus juvenem, ex parentibus Phthisicis natum, qui prædispositionem, habitumque corporis prius descriptum, inclinantem in Phthisin, simulque temperiem plethoricam, vasa tenera sanguineque rutilo impleta, cum colore amœne roseo transparente, habet, & jam ad ἀκμὴν sui incrementi accessit, tum illico summa ope annitendum, ut Hæmoptoë præcaveatur; nam hac jam præsente vix Phthisis im-

immedicabilis averti poteſt. Hinc non inconcinne hic locum habet illud Poetæ:

Principiis obſta, ſero medicina paratur,
Cum mala per longas invaluere moras.

§. 3. Hinc igitur ſi nobis tale corpus ejuſmodi ætatis offertur, tum plethora minuenda; inſtituatur ergo V. S. ſerius vel tardius, prout videmus ſerius vel tardius ad ἀκμὴν accedere, quæ pro ratione plethoræ moderanda. Sic ſi videmus colorem iterum ſplendidum faciei, venas lividas & plenas, calorem paulo majorem natum, hæc iteranda. Non vero hujus repetitæ venæ ſectionis quem tædeat, nam hic agitur de vita; niſi enim Hæmoptoë præcaveatur, plerumque Phthiſici moriuntur.

Mallem vero eam vere & autumno adminiſtrare; nam ſi ſic bis in anno M. S. licet parca, celebretur, inde magna mutatio corpori inducitur; ea vero per aliquot annos continuanda, v. g. usque ad 25. ætatis annum vel ultra, niſi debilitas vel plethora aliud ſuadeat. Cum vero videmus illum hominem hanc ætatem prætergreſſum, nullumque magis metum Hæmoptoës adeſſe, tum V. S. non illico intermittenda, ſed ſenſim ſenſimque eſt minuenda; mittendo tamen ſanguinem bis in anno, tandem ſemel, donec videmus tutum eſſe eam plane omittere.

§. 4. Quod ſupereſt diæta abſolvitur. Caveat ſibi ab omni re motum circulatorium nimis augente; hinc diæta omnis acrimoniæ ſit expers, maxime acria ſalſa vitet, a Baccho omnino vacet, ab omnibus ſpiritibus fermentatis ſtillatitiis abſtineat: ſed utatur pro potu ſola cereviſia tenui, vel & herbis balſamicis roborantibusque, ipſi recenti & ferventi inditis, medicata reddita. Motus muſcularis ſit moderatus. Caveat ſibi quoque ab ingeſtis nimis tenacibus, quæ non facile concoquuntur, ſed ventriculum onerant; ut & a nimis pinguibus, dum oleoſa tenacitate nocent. Hinc a lardo, carne ſale & fumo piſcibusve aëre & ſale induratis, & omnibus digeſtu difficilibus abſtineat; ſed cibi ſint boni ſucci, multi alimenti, citiſſimæ coctionis: hinc ova recentia opti-

ma

ma sunt, imprimis a gallina adhuc tepentia, aqua & lacte; addito parum sachari, diluta, vel & sorbilia valde dilute cocta.

Ex carnium generibus imprimis probantur pulli gallinacei juvenes, perdices, phasiani, caro vitulina, hædina, agnina, &c. hæc horumque juscula cum oryza & oleribus cocta pro lubitu assumat: pisces etiam & cancros fluviatiles concedere licet. Ante omnia tamen diæta convenit oleracea, frumentacea, & imprimis lactea: sic lac coquatur cum oryza, hordeo, avena, milio &c. pro appetitu ægri: sic & radices scorzon. sisaræ, tragopog. dauci, pastinacæ, cichorei, & similes egregii usus sunt, saltem hisce vesperi sit contentus, & a carne tum abstineat. Quantitas ratione virium determinanda, tantum modo assumat, ut se inde sentiat refectum, non vero torpidum nec ponderosum. Quod si vero æger valde debilis, parum, & repetitis vicibus tantum, quantum alias una vice assumsisset, assumat.

§. 5. Cœterum cardo rei in eo versatur, ut simul systema vasorum, imprimis Pulmo reborentur: cum vero motus muscularis ad moderatum calorem & lene initium sudoris, & frictiones siccæ quidem corpus optime roborent, sed circulationem nimis augeant, pulmonesque onerent; hinc nullum hic tutius, efficacius & jucundius remedium, quam quod ægri corpus per aërem renovatum velociter feratur. Ubi incipiendum ab oscillatione Veterum, vel & vectione in navi, si æger valde sit debilis: hoc exercitio per aliquot tempus continuato, in carpento vel sella portetur, dein in rhedam conscendat, & sic gradatim adscendendo, tandem equo vehatur, ubi quoque itinera quotidie magis & magis sunt protrahenda. Veruntamen, si non nimis sit debilis, vectio in equo illico imperetur, nam hoc exercitium omnibus præfero; sic enim SYDENHAM dicit: *Licet equo vehi Phthisicis præcipue conferat, tamen & itinera curru facta mirandos sane effectus quandoque ediderunt.*

§. 6. His exercitationibus aër continuo renovatur, semper novus & purus habetur, visque ejus in corpus nostrum

&

& Pulmones augetur, vasis tanto majores vires adduntur, sicque corpus quasi intra prelum ponitur ab aëre fortius irruente. Sic enim semper ventum quasi adversum sentimus, & hinc omnia viscera & vasa per concussiones reciprocas maxime roborantur, & illud, quod alias sponte congestiones in viscera induxisset, resolvitur, omniaque nimis lenta & stagnantia in actum deducuntur: sicque species quasi frictionis toti systemati vasorum & viscerum applicatur, inde illi, qui citissime equo incedunt, valde incalescunt. Hinc non a vehementissima equitatione incipiendum, sed semper per gradus quotidie adscendendum, idque non illico post prandium vel cœnam, sed 4. vel 5. horis post ultimum pastum; nam sic secundæ coctioni optime succurritur, alias enim crudum ex ventriculo nimis expellitur, Pulmoque debilis admodum premitur a ventriculo impleto. Corpore vero sic satis roborato motus musculares pro lubitu ægri concedi possunt: ubi iterum aurea regula est, ut semper a lenissimis, ut antea quoque dictum, incipiamus. Veruntamen, si ægri conditio id permittat, sola equitatio unicum & sufficiens roborans, eam continuando & augendo, donec videmus corpus omni effectu satis rigidum factum.

§. 7. Hæc sunt, quæ de prophylaxi dicenda habui, pauca admodumque simplicia. Hisce tamen rite observatis, suoque tempore administratis, mirandos inde effectus præstamus, & homines ex faucibus mortis quasi eripimus, quorum tota familia Phthisi demortua. Sed proh dolor! raro Medici de hoc morbo præcavendo consuluntur, sed tum demum si jam præsens est, ubi tum fere incassum ab arte medica expectantur miracula.

§. 8. Eadem requiruntur in consumtione Anglicana incipiente, ubi Pulmones leniter & sensim ab ingestis crudis onerari videmus: vel & si observamus ægrum tam debilem, ut nulla fiat humorum compactio, omniaque quasi perfluant, & modo sudori materiam præbeant. V. S. vero hic non prodest, quin potius plerumque noceat. Hinc omnia priora sunt repetenda, imo hic simul medicamenta roborantia, ob sum-

mam notabilemque debilitatem, conveniunt: & hinc forsan MORTON corticem Peruvianum adeo laudat; sed & in his lente procedendum.

Coeterum majori cautela opus est: diæta sit strictior, imo sola lactea optime conduceret, & in motu corporis a lenissimis incipiendum; nam, si a motu musculari inciperemus, illico anhelant, tremunt, & sæpe sic animi deliquia patiuntur, imo in Hæmoptoën incidunt. Nec quoque tutum est in his ab equitationibus incipere, sed a motu minimo gradatim, prout vires ægri ferunt & increscunt, adscendendum.

Hæc sunt omnia, quæ novi hic aliquid boni præstare.

§. 9. Si vero Medicus de hoc morbo in semine latente non consulatur, vel omnia hæc non rite & suo tempore administrentur, morbusque jam præsens, summæ artis est, imo vix possibilis cura.

§. 10. Cum vero plerumque prægressa Hæmoptoë Phthisis oriatur, hujusque sit præmonitor, consentiente BENNETO, hujus cura prælibanda.

Cura Hæmoptoës

§. 11. Ponamus igitur committi nobis hominem, Hæmoptoë prius descripta per διαβρῶσιν, id est, ex erosione vasorum orta, laborantem; tum cura difficillima, summoque molimine illico tentandum, ut

1°. Rima in vase facta claudatur.

2°. Suppuratio inhibeatur.

3°. Nova Hæmoptoë præcaveatur.

§. 12. Primum obtinetur:

(α) M. S. quæ illico fiat, ut sanguis non tanta copia ad Pulmones feratur, ita ut vas ruptum se possit contrahere, inque pristinum, si fieri potest, retroire, hæcque repetenda tamdiu, donec crusta inflammatoria disspareat; imo, si requiritur, ter quaterve intra spatium octidui repetatur: coeterum ea, pro viribus ægri & ratione plethoræ, quod ex colore faciei, pulsu, & turgescentia venarum judicatur, est moderanda, quod unice a prudentia Medici dependeat.

§. 13. (β) Ligando majora vasa venosa: si ingens profluvium

hoc

hoc indicat, tum illico applicentur ligaturæ ſupra talos ſummoſque humeros, quod quoque CELSUS hoc in caſu laudat; nam ſic venæ comprimuntur, non vero tam fortiter arteriæ, quæ interius tutius a Creatore in finem requiſitum reconditæ ſunt, ſicque refluxus hujus ſanguinis, qui aliter per haſce venas ad cor fluit & hinc ad Pulmones, pro tempore inhibetur, & circulatio per Pulmones minor redditur; omnis enim ars hic primo conſiſtit in imminutione virtutis moventis. Ne vero hæ ligaturæ nimis adſtringantur, vel nimis diu applicatæ teneantur, nam inde gangrænæ metus; hinc ſi primus impetus ſanguinis per M. S. ſedatus, ligaturæ ſolvendæ.

§. 14. Secundum obtinetur iiſdem, impetum ſanguinis compeſcendo & avertendo. Id quod poſt V. S. in genere fit per laxantia, lenientia, pediluvia, enemata mollia ſæpius iterata; hinc SYDENHAM omnem ſpem in his, nempe V. S. & clyſmatibus, collocat.

§. 15. In ſpecie vero humores corrigendi, & ſuppuratio, quantum fieri poteſt, avertenda, per decocta lenia demulcentia, admixtis herbis balſaminis, (quibus ſpeciatim recenſendis non inhærebo) per emulſiones balſamicas, balſamoſque lenes, ut ſunt: olea hyperici, oliv. butyrum recens non ſalitum, &c. quorum omnium vices oleum amygdalarum dulcium recens preſſum, palato adeo gratum, ſupplere poteſt; ſic balſami ex dictis oleis parati hic quoque egregii uſus ſunt, nec minus balſamus, qui fit ex nucleis piſtaciorum, & ex nucleis pini. Alii vero raro hic conveniunt, nam coeteri balſami, hic tantis encomiis laudati, nimis craſſi, duri, admodumque calefacientes, deprehenduntur, quales ſunt varii balſami ſulphuris & ſimilia, ut & therebinthina nimia copia data. Quæ, licet egregium balſamum conſtituat, imprimis quæ ex larice tranſſudat, parca tamen copia aliis medicamentis admiſcenda, quia aliter nimis calefacit, & ut reliqui vim ventriculi deſtruit, & ἀνορεξίαν inducit: hinc præterea dicto balſamo & aliis ſemper aliquid admiſceatur, quod impedit, ne oleoſitate nimis noceant; addantur ergo gummata oliban. ma-

ftich. farcocol. opopon. &c. quæ grata fua aromatica leniterque ftimulante vi fummos præftant effectus; nam refinofa tenacitate primis viis adhærent, dum interim calore corporis gratum balfamicum ftimulum quaquavorfum difpergunt. Non vero hanc fententiam foveo, quod hæc fola fufficiant ad vulnus confolidandum, uti quidem hoc SYLVIUS de balfamo fulphuris tam pertinaciter affirmat; verum vix alio fcopo ferviunt, quam emolliendo, laxando, acreque temperando, nam in totum agunt, & loco affecto minime applicari poffunt, ergo hic vim confolidandi non habent: & præterea licet loco affecto applicari poffent, tamen hoc non efficerent; nam balfamus externe vulnus minime confolidat, fed aërem, ut peregrinum in vulnere hoftem, & omnia heterogenea arcet, & fic tum natura confolidat, non balfamus. Caufa vero, quare balfami hic tantum nomen meruerint, eft, quia dati in Hæmoptoë a caufa externa Phthifin avertunt, & morbum curant: fed & hi æque fine horum ufu fponte fanati effent. Hi vero balfami hic nobis inferviant, ut & decocta fanguinem demulcentia prius laudata, ut fanguinem mollem blandumque & Pulmones complicabiles reddant, quo fe a grumis fanguineis forfan adhuc ibi hærentibus liberare poffint.

§. 16. Verum fi obfervamus aliquid fanguinis extravafati adhuc hærere in Pulmone, quod fcitur, fi refpiratio difficilis, pondufque in pectore fentitur, ut plerumque fieri folet, fi nimis cito fputa fanguinea, ab intempeftivo ufu adftringentium, fuppreffa, ultimoque dimiffa plerumque fiunt grumofa, tum fyrupi pectorales expectorationem juvantes conveniunt: imo hoc in cafu, ut Pulmo a fanguine effufo & forfan concreto purgetur, SENNERTUS laudat pofcam, id eft, aquam cum aceto tepide datam, id quod præftat & oxymel; verum hæc modo bis vel ter ad aliquot cochlearia tepide fumma cum cautela danda funt, aliter metus, ne inde fluxus iterum augeatur. Quamprimum vero videmus fatis Pulmones effe expurgatos, ab his calidis & aceto illico abfiftendum: imo plerumque emollientia & laxantia fola huic fcopo fufficiunt.

§. 17.

§. 17. Adstringentibus tantis encomiis hic evectis non fidendum esse puto, secundum illorum sententiam, qui totum opus his absolvere satagunt, existimantes, hæc specifica quadam vi rimam in vase factam claudere; maxime enim falluntur, nam hæc medicamenta, (ut paulo superius de balsamis dixi) in totum agunt: & præterea, si illæsis viribus loco affecto applicari, sanguinemque pulmonicum ingredi possent, peripneumoniam & mortem, in pulmonibus coagulum humorum inducendo, producerent: imo ex intempestivo horum usu sanguis effusus retinetur, putrescit, & Phthisin facit; vel & totum vasorum systema roborando, eo ipso calorem & motum augendo, Hæmoptoën augent. V. S. vero rite administrata, medicamentis supra notatis adhibitis, & pulmonibus repurgatis, leniter adstringentia adhibere licet, ne videamur ægrum negligere: & tum quodammodo prodesse possunt, quatenus roborant in totum & incrassant. Sed quamdiu metus Hæmoptoës adest, calorem augendo nocent; hinc non nisi summa cum prudentia, ac parca dosi (præprimis lapis hæmatitis, quia est fortissimum adstringens, nam agit ut ferrum) & non nisi admixto melle, ea præscribere convenit.

§. 18. Meliori vero jure hic laudantur terræ sigillatæ pingues, boli, sanguis draconis, &c. quæ præterea, quod humidum laxans & diluens absorbendo adstringunt, & incrassant, quoque omnem acrimoniam obtemperant & involvunt, hinc prosunt. Nam hic imprimis studendum, ut chylus blandus ad Pulmones feratur: quo enim leniores blandioresque humores ad vulnus, ut hic Hæmoptoë est consideranda, appellunt, eo minor fit suppuratio; aliter enim acria, stimulando fibras, motum & calorem, & inde suppurationem augent.

§. 19. Medicamenta vero, unicuique acrimoniæ contraria, satis nota sunt; hinc supervacaneum esset hæc recensere. In genere vero, si acrimonia alcalina peccat, leniter acida & acescentia præscribenda, & contra, acrimonia vero aromatica per aquosa & leniter acida corrigitur, acrimonia sa-

lina autem per demulcentia oleosa: & sic porro unicuique acrimoniæ prædominanti suis contrariis medicamentis succurrendum. Cum vero, uti jam diximus, imprimis salina acrimonia hic peccat, ea, si præsens, illico corrigenda.

§. 20. Purgantia vero, hic a nonnullis semper laudata, non probo, quia ventriculum turbant, circuitum augent, & Phthisin accelerant: uti quoque SYDENHAM affirmat, imprimis dé repetita catharsi. Si vero a catarrho tenui & acri, in bronchum tendente, adest metus Hæmoptoës, tum pro aversione purgantia lenia, non tamen sæpius repetita, ut sunt ex cassia, manna, rheo, & vix plura, conveniunt. Hinc & BENNET, ingruente morbo, nempe congestione ad Pulmones incipiente, evacuationem diversionis causa, per minorativa, (quæ sunt dicta purgantia) suadet præcipiendam. Huic scopo etiam inserviunt apophlegmatismi lenes & errhina, ita tamen ut sternutationem non faciant: nam inde Pulmo maximum nixum ab aëre irruente & rarefaciente patitur; hinc leniter modo stimulando muci secretionem augeant, & ad nares determinent. Ita & in hunc finem, catarrho continuo infestante & ad Pulmones depluente, fonticuli prosunt. Si vero sic diversioni studuimus, tum incrassantia lenia adhibenda, ut tenues acresque humores paulo inspissentur, ac simul leniter roborantia, ut fluxio avertatur: & sic hæc, in corpore Hæmoptoën passo, & ubi, catarrhis frequentibus Hæmoptoës vel ejus recidivæ metus, prodesse possunt. Hæc sic in transitu notare volui, quia omnes Auctores hæc laudant; sed nulli alii scopo, quam ubi diversioni incumbendum est, inserviunt: non vero si pus jam generatur, nam tum maxime quies requiritur, & corpus non turbandum, aliter nimium puris copia augetur.

§. 21. Denique nimia puris generatio maxime prohibetur quiete loci; nam si pars nimium movetur, certo certius summa oritur suppuratio, imo gangræna: hinc perfecta, quantum fieri potest, quies imperanda. Caveat sibi ab omni re, unde respirationes fiunt repetitæ & anhelationes, nam hinc Pulmonis motus augetur: caveat sibi ab omni motu Pulmoni vim

in-

inferente; hinc risus inhibeatur, & maxime tussis, quæ a titillatione nervorum a vase rupto & humore effuso orta, hinc adeo molesta, quam hic nullo alio remedio, quam anodinis & narcoticis, compescere possumus, quæ inde, repurgatis Pulmonibus, in quotidianum usum vocanda.

§. 22. Tertiæ indicationi sola iterum diæta & usu sex rerum non naturalium bene administrando satisfacere possumus. Hinc hic primo Pulmoni debili succurrendum per ea, quæ sine difficultate eum permeare & concoqui possunt; hinc imprimis lactea diæta convenit, nam lac, actionem ventriculi, intestinorum, nec non Pulmonis animalis jam passum, sine labore nutrit. Equidem non ignoro, quod lac per ventriculum & intestina immutatum in lactea haud transeat, quin semper coaguletur; attamen nil mali hic subesse posse putem: nam nos non desideramus illud colostrum, sed illud spirituosum proxime ad nutrimentum accedens. Lac vero fœminæ sanæ, ætatis integræ, ob analogiam, quia homo homini simillimus, omnibus præfertur, imprimis si suctu ex uberibus hauritur; nam tum subtiles illi spiritus, qui proxime ad ultimum nostrum alimentum accedunt, optime habentur, qui aliter in aëre & imprimis coctione avolant. Ad lac humanum proxime accedit asininum & equinum, dein caprinum, imo & lac bubulum fere idem præstat: ita tamen, ut, quantum fieri possit, adhuc tepens ab animalis calore bibatur; vel si sic haberi nequit, quam minime ab igne mutatum in vase exactissime clauso tepefactum hauriatur. Animal vero sit sanum, integræ ætatis, herbis recentibus pastum; imo lac sic alterari potest nutriendo animal herbis ægro medicatis, ut æger nullo alio indigeat medicamento: hinc tempus vernum huic diætæ accommodatissimum. Nil vero nisi tali lacte & lacticiniis utatur, (a vino autem maxime abstineat) addendo solum panem bis coctum, qui optimus: si æger hujus nimis ex continuo usu pertæsus, cum oryza, avena, hordeove coqui potest. Ea vero quantitate dandum, ut ventriculus bene ferre possit, hinc non nimis una vice assumendum. Potus quoque sit lac triplo aquæ dilutum, si æ-

stas

ſtas eſt, hieme anatice ſumatur; vel & ſerum lactis. Verum quia hi ægri plerumque debiles, coagulum lactis in ventriculo non reſolvitur, unde BENNET uſum lactis videtur improbare, diſſecti cadaveris hiſtoriam narrans, ubi ventriculus & inteſtina coagulo lactis infarcta erant.

Sed hoc incommodum præcavemus addendo lacti parum ſacchari vel mellis, tum enim coagulum tam durum non fit ſed facile reſolvitur: ſi vero videmus hominem, a lactis coagulo in ventriculo hærente, nauſeabundum, tum ad hoc ſolvendum nullum præſtantius habemus medicamentum, quam ſaponem Venetum, parca doſi cum lacte datum.

Hiſce cum cautelis ægri ſine incommodo hanc diætam ferre poſſunt.

§. 23. Cœterum aër, in quo hæret æger, ſit moderate frigidus, ſiccus, maximeque vitet ſubitaneas aëris mutationes. Caveat ſibi ab applicatione cauſæ calefacientis, ſanguinemque rarefacientis, nec non a foco & lecto nimis calido; a vino, balneo, Venere abſtineat, omnem motum muſcularem vitet; caveat ſibi a loquela, imprimis nimis acuta, a clamore, cantu, riſu, tuſſi imprimis, quæ, cum a voluntate non dependeat, diacodiatis, quamdiu metus recidivæ, ſopienda, quæque medicamentis, quibus per totum diem utitur, addenda. Caveat ſibi ab omni nixu corporis; hinc alvus non ſit nimis dura, ſed lubrica, & ſi non reſpondeat, clyſmate molli eluenda eſt, nam reſpirationis vis utique requiritur ad alvum duram egerendam. Sic vivat in perfecta quiete, ſomnoque paululum indulgeat: denique ab omni animi affectu vacet; nam hi rodunt, ut, tinea veſtem, maximeque hic nocet ira, mœror, & ſtudia quæcunque, nimis anxie exculta, ut & omnis res quæ nobis nimis curæ cordique eſt; ſic humores reddimus quieſcentes & quaſi emplaſticos, & Hæmopotën præcavemus.

24. Si vero tam felices ſumus, ut æger, hiſce rite obſervatis, meliuſculus eſſe cœperit, metusque Hæmoptoës abſit; tum ad curam morbi imminentis, prius deſcriptam, deveniendum eſt.

§. 25.

§. 25. In his prolixus fui, quia Phthiſis jam præſens ex tali cauſa vix curabilis, imo vix, ſi vera Hæmoptoë adeſt, Phthiſis præcaveri poteſt. Non vero, ſi Hæmoptoë a cauſa externa eſt ſine prædispoſitione, cura adeo difficilis: & non habent Medici, quod hic adeo ſe jactent, nam ſic ſuam incuſant ignorantiam; hæc enim ſola quiete, & abſtinentia ab omni acri calefaciente, per aliquod tempus ſervata, atque V. S. curatur.

Cura Phthiſeos. §. 26. Ubi hæc omnia ſero, vel fruſtra adhibita, tum fere deſperata res eſt, non tamen ægri ſunt derelinquendi; hinc, quæ reſtant, paucis, quantum fieri poteſt, abſolvam. Itaque ſi vomica, ex ſignis prius datis, adeſſe deprehenditur, tum

1°. Ejus maturatio & ruptura ad vaſa aërea promovenda.

2°. Vomica rupta, vel ſponte aperta, illico ulcus (α) mundandum & detergendum, (β) pus evacuandum, (γ) ſanguis contra infectionem purulentam muniendus, (ε) tandemque labia conſolidanda.

3°. Nutrimenta ingerenda talia, quæ facile per Pulmones fluere ſubigique poſſunt.

4°. Symptomata mitiganda.

§. 27. 1°. Diſruptio commodiſſime tentatur ad vaſa aërea, quia, ſi in thorace aperitur, vix medelæ locus; hinc corpus ægri per aliquod tempus mollibus, laxantibus decoctis, & ſimilibus alimentis, juſculis pinguibus implendum, vaporesque emollientes ad Pulmones applicandi, & per inſpirationem hauriendi. Si ſic ſatis molles Pulmones ad vaſa aërea fecimus, & vomica non ſponte aperitur, tum in prandio, ventriculo mollibus juſculis vinoque edentulo, ut HIPPOCRATES dicit, impleto, æger in rheda per ſtrata lapidea, inæqualia, vehatur, & his concuſſionibus agitetur, ea ſpe, ut vomica ſenſim rumpatur ad vaſa aërea, quod tum plerumque fit; nam ſic ventriculo impleto, Pulmo jam mollis redditus in omni parte, exceptis vaſis aëreis, premitur, & ſic ruptura quoque ibi ſperanda. Verum ſi magna hæret vomica purulenta, tum metus eſt, ne æger, hac rupta, moriatur ſuf-

focatus, hinc periculum præmonere debemus, ne videamur ægrum interficere.

§. 28. 2°. Si ergo fic, vel fponte, ulcus apertum, tum (α) deterfioni & mundationi ftudendum, hinc, ut pus coctum ulceri refpondeat, leniter maturantia ut & blanda deterfiva hic in ufum quotidianum vocanda: quibus recenfendis non immorabor; adeat L. B. *Viri Celeberrimi*, H. BOERHAAVE incomparabilem libellum *de materia medica*, ad caput de peripneumonia; ubi omnia, huc pertinentia, tuta medicamenta fideliter recenfentur, ita ut in his variare poffimus, nam cura admodum diuturna. Hæc vero optime in decocto præfcribuntur, addito melle (eft enim mel adiaphorum, optimeque detergens & expectorationem fimul juvans). Gummata vero illa aromatica, optime fub forma pulveris, vel pillularum, ante ufum decocti affumendarum, præfcribuntur, egregiique ufus funt; nam emplaftica fua vi adhærente lenem balfamicum aromaticum ftimulum fenfim quaquavorfum difpergunt.

§. 29. Hic vero non nimis detergendum, fortia enim detergentia cane pejus & angue vitanda, nam Hæmoptoën faciunt: hinc femper calidioribus leniora & emollientia addenda, & fic fecretio puris moderanda; nam a nimia fecretione puris nimis debilitantur, attamen pus ulceri refpondere debet. Hoc vero moderamen videtur optime obtineri poffe per evaporationes & fuffitus, BENNETO adeo laudatos, quorum applicationis modum ad Pulmones tradit: fic vapores emollientes, maturantes, fi puris fecretio nimis parca; fi vero nimium puris generatur, adftringentium gummatumque ficcantium prunis injectorum fuffitus hauriantur.

§. 30. (β) Sic fecretione moderata huic puri exitus conciliandus, per lenia expectorantia ad varios morbi ftatus accommodanda. (1) Ubi demulcendum & lubricandum, trochifci bechici pectorales, fuccus glycirrhizæ infpiffatus, faccharum penidiatum, vel fyrupi lenes pectorales in ufum vocandi. (2) Si vero pus nimis craffum, leniter eft incidendum: fumatur igitur hyffopus, majorana, thymus & fimiles herbæ,

ho-

horumque syrupi, ut debili Pulmoni vires addantur, quo se a pure liberare possit. Non vero hæc nimia copia danda, quia exsiccant & calefaciunt, & sic novam Hæmoptoën facerent; hinc non nisi valde diluta, melle edulcorata, propinanda. Cum vero (3) stimulus requiratur, ad tussim excitandam, quodammodo aquosa sorbilia convenient, quibus vel acetum, vel vinum permisceatur, vel & oxymel HIPPOCRATIS sorbeatur; nam sic, stimulando nervos, tussim excitamus.

Ex horum justa applicatione, prout status & conditio ægri & symptomata postulant, multum levaminis redundat.

§. 31. Hisce ergo ulceris fit detersio, & exitus puri conciliatur, sicque simul (γ) sanguis munitur ab infectione hujus; nam si pus retineretur, sanguini communicaretur: his enim non obstantibus, tamen semper aliquid per venas resorbentes sanguinem ingreditur. Hinc grate acida medicamentis prius recensitis miscenda, ut & lenia salina, (si acrimonia illa, quam prius accusavi, non magis peccat, ut raro solet) per quæ sanguis contra hanc infectionem purulentam & putredinem munitur. Imo diuretica, pus per vias urinæ excernendo, egregie sanguinem depurgant; hinc serum lactis, aquæ chalibeatæ, & similia hic adeo laudata, quasi sola in omni Phthisi sufficerent. Verum cum hic Pulmones debiles valde, hinc hæc diuretica non nisi parca copia adhibita conveniunt, aliter nimis humectant & debilitant.

§. 32. Cum vero sic, quantum fieri potuit, ulcus detersimus, puri exitus datus, locusque depuratus, tum ultimo (δ) labia depurata consolidanda: quod fit per decocta traumatica, leniterque roborantia, quæ optime parantur ex herb. veronic. betonic. virga aur. &c. quæ præterea, quod lene aroma habent, leviter adstringunt, & sic, cum melle data, egregii usus sunt: ut & per suffimigia ex similibus antea laudata.

§. 33. Cum vero consolidationi ulceris maxime obsit tussis & motus, hinc ægro certum omni die tempus præfigen-

 dum,

dum, quo perfecte, quantum possibile, quiescat. Quonium vero nocte omnia silent, hinc vesperi quies imperanda, nec prius ventriculus nimis cibis onerandus, & hora 6. vel 7. vespertina cubitum eat, & ab omnibus animi affectibus vacans, quam quietissime, quantum possibile, dormiat. Tussis suis medicamentis finienda; hinc narcoticum vesperi, antequam lectum petit, semper propinandum: quæ medicamenta hinc consolidantia dicuntur, sic enim somnus imperatur, & locus in quiete, quantum fieri potest, retinetur, sicque perditi utcunque fit regeneratio, & sputa mane iterum cocta procedunt.

§. 34. Hæ sunt classes medicamentorum, quæ hic medicina subministrat: ubi nunc hæc, nunc illa præscribenda, pro conditione statuque ægri & symptomatibus urgentibus, (quod in unoquoque ægro optime judicatur) hinc & illud arbitrio Medici prudentis relinquendum.

§. 35. Nullum vero hic habemus efficacius remedium, quod huic indicationi fere in omnibus satisfacit, quam aëris novi purique ad Pulmones velocius iteratos appulsus: quodque obtinemus per vectiones in rheda, vel equitationes, si æger non nimis debilis; aliter a navigationibus incipiendum, donec priora ferre possit, tum deveniendum ad vectiones, maxime in equo, ubi gradatim spatia majora conficiat. Aër enim scoparum quasi & purgatorii in Pulmonibus vicem supplet, sicque optime detergit, materiam puris ad exteriora allicit, Pulmonesque depurgat, & simul corpus roborat. Per hoc remedium plus valemus, quam speciosis medicamentorum formulis ad tædium usque iteratis ac devoratis: imo, nullo respectu habito ad ullum medicamenti genus, hoc unum sufficit in Phthisi jam præsente, ubi jam sudores nocturni & alia mala signa adsunt; nisi quod, Pulmonibus de die sic detersis & depurgatis, noctu, ut quies imperetur, paregoricum sit propinandum: sic ut huic medicamento acquiescere possimus. Imo SYDENHAM testatur, se aliquem, ubi diarrhœa jam accesserat, solo hoc remedio restituisse; sed ἀκμὴν prætergressis multo diutius in hoc exercitio persistendum.

dum, *quam infra eam ætatem positis.*

§. 36. 3°. Tertiæ indicationi ſatisfit ſola diæta lactea. Quia vero, uti arbitror, ſupra in cura Hæmoptoës de ea ſatis ſatisque jam actum ſit, illi hic diutius non inhærebo. Quod ſi vero forſan quis hanc diætam ferre non poſſit vel nolit, tum juſcula tenuia, facile meabilia, ex carne vitulina, vel ovilla, ut & decocta panis ſubſtituenda, cum uſu decoctorum farinoſorum pro cibo & potu, & tum quoque vinum parca copia concedi poteſt. Præſtat tamen ſolus uſus lactis ſub conditionibus deſcriptis, nam optime nutrit, acrimoniam vitioſorum humorum temperat, parte ſeroſa ulcus abſtergit, ac butyracea humectat, & corporis exſiccationi reſiſtit. Verum, ut tam ſtrictam diætam ſervent, vix quidem opus habent, qui vectionibus ſe committunt.

§. 37. Hæc ſunt omnia, quæ ars hic ſubminiſtrat, & quibus ulcus cicatrice obducere conamur. Sed quis forſan hic rogaret, num putem, ægrum ſic in priſtinum reſtitui poſſe? His reſpondeo, admodum difficile eſſe, quia aër hic ſemper præſens arceri nequit, & præter motum reſpiratorium hic quoque tuſſis, ad ulcus a pure mundandum, requiritur, quæ labia ulceris ſæpe iterum dilacerat: imo licet forſan conſolidationem obtineremus, tamen in prædiſpoſitis ſic virtus pulmoni non redditur, nec vaſorum ſyſtemati ſuum requiſitum robur additur. Præterea hic habemus ſumma contraindicantia: alimenta enim tenuia & facile digerenda quidem transmittuntur, ſed vi Pulmonis & vaſorum non compinguntur, hinc modo ſudori materiam præbent; aſſumta vero, ſi duriora fuerint, accumulantur, & inde malum augetur. Si nimis mollia maturantia damus, tum nimium puris generatur, nimis debilitatur æger, imo inde diarrhœa illa colliquativa ſæpe acceleratur. Si fortia detergentia, vel adſtringentia propinamus, ſæpe novam Hæmoptoën producimus: ſi calefacientia, ſpirituoſa, ſtimulantia injungimus, tum ſpiritus nimis excitantur, agitantur, imo æger ſæpe ſuffocatur, ob nimium humorum ad Pulmones affluxum, vel Hæmoptoës recidivam patitur. Denique febris

laxantia & humectantia requirit, ulcus detergentia & siccantia postulat; sic ut putem, morbum hunc ex seminali labe, vel sensim a Consumtione Anglicana inductum, vix curabilem esse, nisi forsan a vectionibus quid boni sperandum sit.

Cura Palliativa §. 38. 4°. Ultimo de symptomatibus paucis agendum, imprimis cum existimem, Phthisin consummatam vix curam radicalem admittere: ergo vita ægro tolerabilior reddenda, mitigando symptomata. Qualia & quidem summopere urgentia sunt: (1) *Vomitus.* (2) *Tussis nimis molesta.* (3) *Febris Hectica.* (4) *Anxietas.* (5) *Sudor.* (6) *Diarrhœa.*

§. 39. (1) *Vomitus* plerumque oritur a miasmate purulento, sanguini communicato, & ad hepar delato, sicque in ventriculum transspirante: hic nullis remediis obedit, nisi quod lenia arida quodammodo inducias pariant. Si a ventriculi fibris relaxatis viisque nimium lubricatis, ob olea, pinguia, balsamica nimium exhibita, oritur, tum minimo motu ingesta versus superiora feruntur, hinc copia ingestorum eupeptorum dividenda, & simul leniter austera & acida, vel pro rei exigentia leniter spirituosa aromatica, valde diluta propinanda. Cum vero a tussi nimis vehementi oritur, illa suis remediis sopienda.

§. 40. (2) Ad *Tussim* hanc paulo sedandam, sola diacodiata, ut supra jam monuimus, faciunt. Verum enim vero, ubi æger valde debilitatus in extremis hæret, summa cautela opus; nam sæpe respiratio inde insigniter anhelosa redditur, & æger mirum in modum debilitatur, ita ut sæpe ex nimio horum usu extremorum frigiditas, mentis vacillatio, &, inexpectato opprobrio Medici, subitanea mors subsequatur.

Hinc hic parca manu debitis intervallis opiata, sed non nisi in forma liquida propinanda, & aliis medicamentis miscenda: hinc trochisci bechici, linctusque lenientes, demulcentes, expectorationem juvantes, in usum vocandi, hisque, pro rei exigentia, parum syrupi diacodii admiscendum.

§. 41. (3) *Febris Hectica*, quæ definitur: quod sit febris habitualis, quæ quasi in habitum corporis abiit, ex causa san-

ſanguinem corrumpente: hinc ſi cacochymia in toto hæret, tum eſt febris continua, continuato tramite decurrens; ſin vero oriatur ab ulcere Pulmonis, pus excernente, tum ſemper veſperi augetur, & quaſi paroxyſmum creat novum: & quia tum chylus novus a prandio ad Pulmones appellit, hinc, ad ulceroſa loca accedens, febrem accendit, eo quod non transmittitur, ſed ab hac febre in pus mutatur. Unde ægri hi ſemper maxime conqueruntur de hac febre, & obnixe a Medico petunt, ut liberet a febre. In hoc caſu MORTON corticem Peruvianum laudat, ſed meo quidem judicio haud circumſpecte; nam cauſa materialis manet, dum interim illud conamen naturæ, hoc obſtaculum removere tentantis, cortice Peruviano ſupprimitur; hinc diſpnœa ſumma ſenſim increſcens producitur, & ægri moriuntur, ut ipſa ſcripta Auctoris teſtari videntur. Medicamenta autem hic nil juvant; omnis vero lapis movendus, ut chylus non tanta copia ſimul accedat ad Pulmones. Hinc tum æger omni hora cibos præſcriptos, maxime lacticinia, ea quidem quantitate, qua alias una vice uſus fuiſſet, per totum diem diviſis doſibus aſſumat; nam hic nil de alimentis ſubtrahendum, cum vires ægri maxime ſint conſervandæ. Hiſce obſervatis, Pulmo parvam hanc quantitatem adhuc tranſmittere valet, ſicque febrem hanc quodammodo præcavere poſſumus; quandoquidem autem præ debilitate vix adeo ſtrictam diætam ferre poſſint, nec velint, nil tamen aliud hic medicina ſubminiſtrat.

§. 42. (4) *Anxietas*, quæ oritur, quia Pulmo ſanguinem omnem chylumque tranſmittere nequit; & inde prima illa inſtantis mortis perceptio, cordique naſcitur obſtaculum: quod cum ſe evacuare nequit, moritur homo. Tali autem in ſtatu æger non derelinquendus, ſed de hoc moleſtiſſimo & periculoſiſſimo ſymptomate, ſi fieri poteſt, liberandus. In anxietate hac cardiaca ſtimulantia, a nonnullis ſemper laudata, maxime nocent, nam Pulmones magis onerant, malumque adaugent: ſolummodo hoc tempore illud craſſum diluendum, ut perfluat, quod optime fit potu aqueo mellito, tepide hauſto, v. g. potu coffee cum melle.

Et

Et hoc quidem pro tempore juvat, verum & sua incommoda habet, & malum non avertit; novo enim chylo ad Pulmones iterum appellente, eadem tragœdia luditur. Hinc cum eandem cum febre causam agnoscat, febris plerumque est pedissequa, & iisdem remediis utcunque præcavetur: nempe dividendo assumtorum facile digestibilium quantitatem in doses diversas. Denique ultimo illa anxietas oritur, quia illud paucum sanguinis adhuc reliqui Pulmonum vasa non magis implere, nec distendere potest, & tum quidem a potu stimulante, vel vino paulo reficiuntur; sed illico eadem tragœdia redit, & nullus medelæ, nec palliationi locus.

§. 43. (5) *Sudor*: febris hæc mane sudoribus solvitur; hinc, hac febre dicto modo utcunquæ sublata, quoque ille non adeo infestus.

Quia vero hic chylus non compingitur, & omnes humores sunt nimis tenues, hinc proclivitas illa in sudores semper adest, quam vix tollere possumus; nam medicamenta spirituosa, aromatica, roborantia, sudores tales ex debilitate ortos quidem debellant, ea tamen vix audemus propinare, nisi pauca admodum copia, & valde diluta. Unicum, quod superest, a vectionibus & equitationibus exspectandum, quod quoque SYDENHAM affirmat.

§. 44. (6) Tandem ultimo de *Diarrhœa* illa lethali colliquativa dicendum, de qua HIPPOCRATES dicit: *A tabe detenta alvi profluvium superveniens lethale.* Hinc puto in hoc morbo nulla præscribenda esse purgantia ob metum hujus. Præcavetur vero utcunque diæta lactea; si vero jam adest, conclamatum est de ægro, tum enim adstringentia dare non licet, opiata vero nimis debilitant: imo licet hæc eam supprimant, tamen inde dispnœa suffocativa & mors sequitur. Unicum, quod hic pro paucis diebus palliare potest, a clysmate anodino, paululum roborante, exspectandum: injiciatur igitur post alvum depositam v. g. ℞. thereb. ʒj. theriac. ʒij. vitel. ov. N. 1. lactis dulcis, & aquæ, in qua ferrum exstinct. ana ℥ij. pro clystere. Simile & clysma MORTON laudat

dat hoc in casu, ubi loco theriacæ diascordium recipitur: & hæc pro aliquo tempore quidem inducias faciunt, cœterum desperata res, & non ita multo post quam placidissime sine ullis symptomatibus, sæpe inter loquendum, diem obeunt supremum.

§. 45. Hæc sunt, quæ hic compendio de hoc morbo funestissimo dicere potui; medicamenta multa non addidi, sed, ex qua classe depromenda sint, modo subindicavi, ne disputationis limites transgrederer: obnixe igitur rogo L.B. ut hasce studiorum meorum primitias æqui bonique consulat, & sic huic dissertationi impono

FINEM.

ANNEXA.

I.

Nulla pars corporis ſanguinem accipit, niſi prius per Pulmones iverit.

II.

Omnia genera vaſorum in Pulmonibus repræſentantur.

III.

Maximus calor in Pulmonibus generatur.

IV.

Rubedo ſanguinis videtur dependere a denſitate.

V.

Denſitas illa dependet a vi ſolidorum in liquida, & viciſſim.

VI.

Ergo chylus, imprimis in Pulmonibus colorem rubrum accipit.

VII.

VII.

Nitrum aëreum non facit colorem ſanguinis.

VIII.

Sanguis in Phthiſicis minime denſus & gravis.

IX.

Sanguis quo denſior & ſpecifice gravior, eo homo ſanior, niſi adſit terreſtre melancholicum.

X.

Aër ſanguinem non ingreditur in Pulmone.